

III. Iansenius De Gratia Christi L. V. c. 34. excogitavit interpretationem novam primorum verborum huius capituli. Ait enim contritionis nomine intelligi eam detestationem peccati, quae accipitur ex amore Dei; ideoque primam eius speciem esse eam, quae concipitur non ex quavis vera caritate, sed *caritate perfecta* h. e. intensa vel maxima: alteram vero quae, licet ex metu poenarum et turpitudine peccati, ex vera etiam caritate, remissa quidem, concipitur. Hanc interpretationem omnes Contritionistae amplectuntur. Argumenta sunt 1) Concilium utitur simpliciter nomine *contritionis*, hoc porro per se sumptum significat dolorem conceptum ex amore Dei super omnia. 2) Contritio dicitur detestatio peccati, h. e. offensae Dei; debet ergo displicere peccatum eo quod est offensa Dei, quod sine caritate fieri nequit. 3) Contritio ea dicitur fuisse quovis tempore necessaria; atqui contritio ante Novam Legem necessaria erat certe contritio ex caritate. 4) Testimonia Scripturae, ad quae provocatur a Concilio veluti exhibentia eam contritionem, de qua loquitur, exhibent reapse contritionem ex motivo caritatis profectam, nam praeferebant eam caritatem, quae per se iustificat.

Verum ad 1.^m Contritio simpliciter sumpta, praesertim cum opponitur attritioni, significat perfectum dolorem ex amore Dei, *trans-eat*, vel *concedo*; contritio, quae deinceps dividitur in *contritionem perfectam et contritionem imperfectam* (docet praeterea, *etsi contritionem hanc aliquando caritate perfectam esse contingat* etc. perpende illam voculam *hanc*, qua evidens fit illam eandem contritionem, de qua hactenus locuti sunt Patres, dividi in duas species, ideoque ab initio contritionem generice spectari) atque ita ut haec altera quoque sine addito dicatur contritio; *nego*. Nimirum ex contextu id diiudicandum est, falsumque est nomen contritionis per se non significare nisi perfectum dolorem.

Ad 2.^m In definitione Contritionis peccatum est obiectum detestationis, *conc.* est motivum *dist.*: nempe hoc motivum detestationis explicite in definitione significatur, *neg.*: hoc motivum non excludit definitio, sed ab eo abstrahendo praescindit, illudque virtualiter simul cum aliis motivis, quemadmodum genus differentias suas, continet; *conc.*

Ad 3.^m Contritio quae ibi definitur, h. e. detestatio peccati et propositum non peccandi, dicitur fuisse necessaria, *conc.* speciale aliquod eius motivum, e. g. amor Dei, dicitur fuisse necessarium, *subd.* fuerit ante institutum sacramentum necessarium, *trans.*, haec a Concilio de eo eiusque necessitate sermo est, *neg.*

Ad 4.^m Synodus Scripturae testimonia eum in finem adducit ut declaret rationem contritionis in eo esse ut non solum cessationem

a peccato et vitae novae propositum et inchoationem, sed veteris etiam odium continere: id autem in utraque contritione sive perfecta sive imperfecta locum pariter habet. Quamvis autem certum sit iis actibus, qui allatis testimoniis V. T. repraesentantur, obtentam fuisse remissionem peccati, tamen 1^o id non est verum propter id tantum, quod in iis diserte dicitur, sed et propter id quod supponitur; 2^o nec propter id afferuntur a Synodo, sed propter ea, quae Synodus diserte praemittit; ideoque haec specialis efficacia illorum actuum in allegatione Tridentina se habet prorsus materialiter non formaliter.

IV. Contra argumentum secundo loco a nobis adhibitum ita arguunt ex historia Concilii edita a Cardinali Pallavicino L. XIII. c. 10. Narrat historicus ex Actis Concilii se collegisse haec, quae ad rem nostram spectant. 1) In Congregatione Theologorum quinque refert exstitisse Theologos, qui postulaverint *dilectionem* pro Sacramento rite suscipiendo. 2) In Congregatione Patrum paucos attigisse hoc punctum, et Archiepiscopum quidem Granatensem proposuisse obiter sententiam negantem necessitatem amoris; Ioannem vero Aemilianum Episcopum Tydensum defendisse contrariam, quae exigit in Sacramento contritionem perfectam; efficaciam vero Sacramenti explicasse eo modo, quo superius vidimus explicari a Biel. (Th. XXVI). 3) Post haec in decretis doctrinae posita fuisse haec verba: « Illam contritionem, quam Theologi attritionem vocant, quod imperfecta sit, et solum vel ex turpitudine peccati vel ex gehennae et poenarum metu, qui servilis timor dicitur, concipiatur, si voluntatem peccandi excludat, et dolorem qualemcumque de commissis delictis exprimat, statuit haec S. Synodus et declarat non solum non facere hominem hypocritam et magis peccatorem (ut quidam blasphemare non verentur), verum etiam *sufficere ad Sacramenti huius constitutionem* ac donum Dei esse ac Spiritus S. impulsus verissimum non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo poenitens adiutus (cum sine aliquo dilectionis motu esse vix queat) viam sibi ad iustitiam munit, et per eam ad Dei gratiam facilius impetrandam disponitur ». 4) Episcopum vero Tydensum monuisse falso dici huiusmodi dolorem sine amore vix unquam concipi posse. Quod autem haec attritio satis esset Sacramento constituendo ita, ut homini attrito deleantur peccata vi absolutionis supervenientis, variare auctorum sententias; ideoque esse id tollendum. Quamobrem decretum, sicut nunc exstat, reformatum esse ait historicus. In promptu est ergo argumentum: Concilium posuit ea verba: *disponit ad gratiam impetrandam in Sacramento*, loco eorum: *sufficit ad Sacramenti huius constitutionem*, idque ne definiret quaestionem Scholasticam, circa quam

variabant sententiae auctorum: ergo Concilium per verbum *disponit* noluit significare dispositionem sufficientem, quam ne significaret, expunxit data opera verbum *sufficit*.

Respondeo 1) Cum Pallavicinus sententiam necessitatis amoris defendisset in hac Universitate, eiusque interesset fidem illi auctoritate conciliare, testimonium eiusdem in ista re videri forte posset non immune a quavis suspitione non quidem doli, sed imprudentis cuiusdam omissionis aut non satis completae interpretationis auctorum omnium ad hanc rem spectantium, ex praeconcepta animi sententia.

2) Quaenam sit sententia decretorum aut canonum Concilii, id (quod magnopere hac nostra praesertim aetate inculcare oportet) per se colligendum est ex immediata inspectione eorumdem; haec enim sunt, quae Spiritu veritatis regente sunt infallibiliter immunia ab errore, cum cetera plus minus humanam imbecillitatem participant; et haec sola proponuntur fidelibus ut norma fidei, qui non tenentur nec possunt consulere Acta Conciliorum. Quod praesertim valet, si Ecclesiastica auctoritas subduxerit ab oculis fidelium ea Acta, edens tantummodo Decreta et Canones; tunc enim credendum est Ecclesiam censuisse non esse opus Actis, ut sensus Decretorum et Canonum intelligeretur; secus enim periculo erroris obiecisset fideles. Idque potissimum valere debet in hac materia, de qua agimus, cuius recta intelligentia adeo necessaria est fidelibus. Cum ergo praerogativa infallibilitatis non competat sententiis Theologorum Episcoporumque prolatis cum inquisitio fiat in congregationibus praeparatoriis, sed solis decretis aut canonibus ab Ecclesia propositis ut credantur, quae sunt decreta et canones Sessionum; patet ius habere Theologos provocandi immediate ad ipsa verba decretorum et canonum eorumque contextum, atque ex iis acceptis in sensu proprio, obvio eaque aetate communi argumentationem suam instituere, et quid in illis vel immediate vel mediate contineatur colligere. Et haec dicta sint quod spectat ad methodum disputandi.

Iam vero 3) quod ex historia Pallavicini colligi potest, hoc unum est, noluisse Patres definitionem edere hac in re, ut quibusdam Theologis catholicis parcerent, ideoque expunxisse ea verba, quae immediate et explicitè hunc sensum funderent; non autem noluisse Patres doctrinam eandem vel mediate tradere. Quod autem reapse voluerint saltem mediate eam docere, id ex eo probamus, quod certe voluerunt Patres illud docere, quod ex eorum sententiis simul collatis necessario efflorescit, illud nempe voluerunt dicere, quod reapse, licet mediate, verissime dicunt. Cum igitur, ut probatum est, sententia nostra proponatur in eo capite mediate, idque nos

tantum contendamus; historia autem Pallavicini probet ad summum id tantum, noluisse Patres immediate proponere eam doctrinam; liquet argumentum ex ea historia petatum inane esse nulloque pacto nobis officere.

Argumentum aliud proposuit ipse Pallavicinus ductum ex exemplo allato a Patribus Ninivitarum, quod sic urgeri potest. Poenitentia Ninivitarum, ut reconciliationem cum Deo obtinerent, non potuit carere actu caritatis, quo solo tunc temporis poterat iustificatio impetrari: cum itaque hoc exemplum immediate nexuque causali nectatur cum praecedentibus, quibus docemur attritionem excludere voluntatem peccandi, praeparare ad gratiam, ad eamque disponere in Sacramento, patet Patres eam poenitentiam ex timore sive attritionem cogitasse, quae non excluderet amorem, imo ipsum includeret.

Respondeo, duplex est suppositum, cui innititur argumentum, alterum incertum, alterum falsum. Primum est quod Patres Concilii censuerint Ninivitas per eam poenitentiam fuisse iustificatos, atque sub hoc respectu poenitentiam Ninivitarum ipsi attulerint; huius enim rei nullum est indicium certum in verbis Patrum, licet id colligi possit ex verbis Scripturae: quamvis, ut Deus abstineat ab infligendis malis temporalibus, non sit necessaria poenitentia perfecta, sive sanctitas in hominibus.

Alterum est suppositum, quod exemplum illud adducatur a Patribus pro declaranda vi attritionis in Sacramento; hoc prorsus falsum esse evidens est: quomodo enim poenitentia acta tum cum Sacramento non esset, posset declarare vim attritionis in Sacramento? Itaque nectitur quidem hoc exemplum causaliter cum praecedentibus, sed cum mediate praecedentibus, in quibus attritio ex timore dicitur actus bonus; quod profecto probatur evidentè ex poenitentia Ninivitarum determinata a timore poenarum, quem ipse Deus per prophetam incussit. Porro ex his constat argumentum conficere nihil.

V. Arguunt potissimum collato ep. 6. Sess. VI. ibi enim, aiunt, inter actus poenitentis, quibus se disponit ad iustificationem per baptismum acquirendam, numeratur quoque caritas: *incipiunt diligere Deum tanquam omnis iustitiae fontem*, qui est actus perfectae caritatis, ex qua caritate determinatur detestatio peccati necessaria ante baptismum. Aiunt enim Patres: «Disponuntur ad ipsam iustitiam dum excitati divina gratia et adiuti fidem ex auditu concipientes, credentes vera esse, quae divinitus revelata et promissa sunt... dum peccatores se esse intelligentes, a Divinae iustitiae timore, quo utiliter concutiuntur, ad considerandam Dei misericordiam se convertendo in spem eriguntur, fidentes Deum per Christum sibi propitium fore illumque

tanquam omnis iustitiae fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod et detestationem, hoc est per eam poenitentiam, quam ante baptismum agi oportet, denique dum proponunt suscipere baptismum, inchoare novam vitam et servare divina mandata ». Ergo ut baptismus rite suscipiatur, requiritur caritas; atqui non minor dispositio pro Poenitentia quam pro baptismo postulatur, est enim ea laboriosus baptismus (Sess. XIV. cp. 2); igitur et pro Sacramento Poenitentiae caritas exigitur.

Quapropter etsi eius distincta mentio non fiat in cp. 4. Sess. XIV. subintelligenda est tamen, ne sibi contradicere dicantur Patres Tridentini; neque opus fuit eam repetere, quia semel dicta sufficiunt.

Respondeo. Concedimus quod si pro baptismo rite suscipiendo necessaria est caritas, eadem necessaria quoque sit pro Sacramento Poenitentiae. At quaestio est de veritate conditionis, utrum nempe in Sess. VI. cp. 6. definita fuerit necessitas caritatis pro baptismo. Porro negamus id esse certum, imo contendimus certum esse contrarium. Et primo quidem certitudini eius obstant evidentissime plura. Sane 1) huiusmodi definitio ignorata fuit Theologis et Patribus Concilii in Congregationibus ante Sess. XIV; id enim, teste Pallavicino, controversum fuit, an amor quoque inter dispositiones poenitentis ad Sacramentum Poenitentiae requireretur. 2) Ignorata ab iis quinque Theologis fuit, qui ibid. necessitatem amoris adstruebant; non enim eam doctrinam Sess. VI. attulerunt in patrocinium suae opinionis, quod certe fecissent, si scivissent id esse definitum in Sess. VI. atque id scivissent, si reapse id factum fuisset. 3) Dominicus a Soto Theologus Concilii, qui Sess. VI. interfuit, in L. II. De Natura et Gratia c. 15. (quod opus Patribus Tridentinis post peractam Sess. VI. dedicavit) et in IV. D. q. 1. a. 7. defendit doctrinam s. Thomae, quod pro baptismo sufficiat attritio etiam cognita, suamque sententiam probat iis ipsis verbis cp. 6. Sess. VI. inquit « unde S. Synodus Sess. VI. 6. ante baptismum solum requirit motum adversus peccata: *per odium, inquit, aliquod et detestationem h. e. per eam poenitentiam, quam ante baptismum agi oportet* ». Idem defendit Melchior Canus, in Relectione De Poenitentia, p. 3. qui et ipse tanquam theologus interfuit Sess. VI. ac paulo post suam edidit Relectionem. 4) Theologi seculi XVI. posteriores Sessione VI. verba Concilii interpretati sunt de Dilectione Dei iustificante sine Sacramento, excepto Vasquez, ut testatur Suarez De habituali Gratia L. VIII. c. 9. n. 10. « Haec omnia (actus nempe qui recensentur in cp. 6. et cp. 3. Sess. VI) de sola imperfecta et remota dispositione interpretari *et novum et incredibile est.* » Idemque Theologi, excepto Navarro (cf. Ludovicum Lopez Instruct. Conscientiae p. 1. c. 9) et

Petro Soto (cf. Suarez in III. p. D. XXVIII. Sect. 2), docuerunt pro baptismo rite suscipiendo non requiri contritionem, sed sufficere attritionem eamque cognitam. Iam vero quomodo haec cohaerent cum definitione tradita in Conc. Trid. Sess. VI. requiri actum dilectionis pro susceptione baptismi?

Itaque secundo si verba ipsa Concilii expendamus, haec licet advertere. Quoniam Synodus non agit simpliciter de iustificatione, quae per realem susceptionem baptismi, sed et de ea, quae per baptismi votum obtinetur (cap. 4), non est expectandum quod enumeret solas dispositiones necessarias ad baptismum actu suscipiendum. Sed enumerandae erant dispositiones necessariae ad iustificationem utramque assequendam. Id porro multipliciter exsequi Synodus poterat. Vel simpliciter enumeratis omnibus dispositionibus, quae vel necessariae sunt in utraque hypothesi vel ordinarie locum habent, quin explicite determinaret quaenam pro hac et illa hypothesi necessariae et sufficientes sint. Vel explicite docendo quae dispositiones sint necessariae et sufficientes pro utraque hypothesi. Vel enumeratis omnibus dispositionibus, quibus ad iustificationem via paratur, determinando speciatim aliquam, quae pro Sacramento necessaria est, ex qua indicatione liceret etiam colligere quid prorsus sufficiat pro eodem Sacramento. Iam vero cum nollet Synodus omnia, quae huc spectant, simpliciter definire, hanc tertiam elegit viam. Nam omnes dispositiones enumerantur, quae requiri possunt pro iustificatione, quaeque sufficiunt pro iustificatione ex opere operantis; docemur praeterea diserte quaenam pro Sacramento requiratur: h. e. odium aliquod et detestatio peccati. Quod profecto cum dicit Synodus, satis significat quod dummodo sit vere odium aliquod et detestatio peccati, ea est poenitentia sufficiens pro Sacramento suscipiendo. Atqui detestatio peccati vel ex timore est vera detestatio. Neque illud *propterea* necit necessario hunc actum detestationis cum actu immediate prius memorato *amoris*, sed cum tota serie actuum antea enumeratorum in confuso accepta. Inde factum est ut doceamur 1) quibus dispositionibus disponatur homo ad iustificationem ex opere operantis: 2) ante baptismum ideoque et pro baptismo suscipiendo necessariam esse poenitentiam h. e. odium et detestationem peccati: 3) requiri proinde fidem quoque et spem, quia illa sine his esse nequit: 4) explicite non decidi an detestatio peccati ex motivo dilectionis Dei an ex motivo timoris et spei determinanda sit: at sufficienter indicari, quemadmodum Dominicus Soto intellexit, sufficere motivum timoris; nam ex hoc verum odium veraque gignitur detestatio peccati.

Itaque concedimus ea verba: *Deum tanquam omnis iustitiae fontem diligere incipiunt* exhibere actum perfectae caritatis, sed ne-

gamus docere Concilium hunc actum esse necessarium, pro suscipiendo rite baptismo (cf. Suarez op. cit. L. VII. c. 8).

Ceterum non defuerunt qui ea verba aliter interpretati, voluerint significari aliquem amorem imperfectum, initialem, qui proprius sit spei, quique vel cum sola attritione cohaerere potest (cf. Francolini de Dolore L. I. c. 6. §. I): verum haec interpretatio propter rationes allatas sive extrinsecas sive intrinsecas nobis minus probatur.

VI. Petit argumentum aliud ex eadem Sess. cp. 7. Farvacques in sua quaest. Quodlibet. argum. 2. Nimirum verba sunt Concilii: « Fides, nisi ad eam spes accedat et caritas *saltem initialis*, neque unit perfecte cum Christo neque corporis eius vivum membrum efficit: qua ratione verissime dicitur Fidem sine operibus mortuam et otiosam esse ». Ergo et in Sacramento caritas actualis postulatur.

Respondeo. Mira certe est haec ratio citandi decreta Conciliorum. Cur adduntur ea verba: *saltem initialis*? ea profecto non habet Concilium. Nimirum sensit homo prudens quod, si caritas intelligatur actualis, ut ipse vult, posset contra eum argumentum retorqueri; ipse enim censet non requiri in Sacramento caritatem perfectam, et tamen in eo decreto sermo est de caritate, quae unit perfecte cum Christo, quae nequit esse nisi perfecta et iustificans; ut ergo cave-ret retorsionem, addidit eam glossam; cuius iste est sensus: accipi-enda sunt verba Concilii de caritate actuali, quia id mea interest, non vero de caritate actuali perfecta, quamvis de hac Concilium lo-quat, quid id mihi nocet. Verum omissio ludo, quis non videt ineptam, ne dicam absurdam sententiam, quae Concilio tribuitur: ca-ritas initialis (quae est caritas nondum iustificans) unit perfecte cum Christo et vivum eius membrum efficit? Itaque certum est heic ser- monem esse de caritate perfecta iustificante, et proinde qui vult heic agi de caritate actuali, is dicere debet ibi sermonem esse de actu perfectae caritatis iustificantis. Atqui certum est quod caritas per-fecta iustificans non postulatur pro Sacramento, quemadmodum cer- tum est Sacramentum Baptismi et Poenitentiae primam gratiam con-ferre, ergo si quid hoc testimonio probaret Farvacques, probaret doctrinam reprobata a Tridentino.

Verum evidens est in eo loco decreti sermonem esse de caritate habituali; est enim ea caritas, de qua immediate sermo fuit in praecedentibus, quibuscum haec propositio neclitur nexu causali per particulam *nam*: incipit enim: *nam fides etc.*: sed satius fuit Farvacquesio eam particulam omittere. Porro in praecedentibus agitur de formali causa iustificationis, quae iustitia Dei est nobis inhaerens, quam recipimus « cum per Spiritum Sanctum caritas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui iustificantur atque ipsis inhaeret: unde in

ipsa iustificatione cum remissione peccatorum haec omnia simul in-fusa accipit homo per Iesum Christum, *fidem, spem et caritatem; nam fides etc.* ». Est ergo ea caritas, quae accipitur in iustificatione, non est actus praecedens ut dispositio. Rem adeo evidentem potuisset adversarius discere a Pallavicino, ad quem huiusmodi homines no-verunt identidem provocare. Libro enim VIII c. 14. exponens caput hoc 7.^o advertit monuisse quosdam caritatem numerari in capite antecedente inter dispositiones, hoc vero in capite poni tanquam causam formalem iustificationis: respondisse vero deputatos (qui de-creta confecerant), priori in loco sermonem esse de actu caritatis, in hoc altero autem significari habitum caritatis.

VI. Tandem aiunt Patres Tridentinos non affirmare, quod attritio ex solo metu concepta sit vera attritio sive contritio imperfecta; dicunt enim *communiter* concipi eam ex metu vel consideratione turpitudinis peccati, significantes scilicet per illud adverbium se non omnia motiva necessaria attritionis diserte enumerasse.

Respondeo. a) Si id Patres voluissent significare, non fuisse usuros vocabulo denotante frequentiam eius motivi, sed aliis vocabulis de-notantibus illud motivum non esse solum, e. g. *etiam*.

b) Vocem eam *communiter* positam a Patribus adsignificare quod sub nomine attritionis aliae imperfectae contritiones comprehendi possint: significare vero quod, ad praxim quod spectabat, cum con-tritio imperfecta eliceretur, *communiter*, non tantum communius, ea ex illis motivis concipiebatur: quod quidem ostendit Patres cogitasse eam attritionem, quae a fidelibus in Sacramento adhibebatur; de hac enim tantum testari poterant Patres quod communiter concipe-retur vel ex hoc vel ex illo motivo.

c) Contritio imperfecta ex alterutro horum motivorum concepta est vera attritio iuxta Patres, ideo enim *attritio dicitur* quoniam concipitur ex his; ergo non requiritur aliud motivum ut sit attritio cum adest alterutrum ex iis motivis: quamvis possit attritio concipi ex aliis motivis.

d) Absurdum est putare Patres, distinguentes species contritionis, reticuisse in alterutra specie declaranda aliquod elementum necessarium pro eiusdem constitutione.